

1978

M

431  
(11)



oo  
ll



LUTHERANUS  
NON NATUS, SED FACTUS,  
Et ex nefacro Papatûs Spineto  
In Orthodoxiæ Evangelicæ Rosetum  
TRANSPLANTATUS,

*Qui Lutherane Veritatis constantissimum, Spiritûs S.  
ope, jam Socium*

REVOCATORIA  
ORATIONE

In frequenti & splendida Panegyri

Illustris Lipsiensis Academiae

d. IX. Decembris Anno E. C. clj lxxvii.

In Collegio PP. Majore  
se confessus est,

*Haecenus pessimæ Babelis prob! Servus*

JOHANNES STANISLAUS BARANSKY,  
à Schönberg / primò in bonis Illustrissimæ Principis  
Marggraviæ à Baden, tum Illustriss. D. Comitiss. Joh. Wencesl. de  
Colovvrat, S. C. M. Camerarii, ut & alterius C. M. Camerarii Illust.  
D. Comitiss. de Wierben in Bohemiâ deinde L. Baronis Hartmann.  
à Clarstein, nec non posthæc in Ungariæ vico Maniga sive Malze-  
nicz & Ardanocz Parochus, deniq; post desolationem huic loco à  
Turcis illatam, apud Illustriss. D. Episcopum Agriensem Thomam  
Palfi, & Georgium Barsony Episcopum Varadiensem, Præpositum  
Majorem Capituli Scepusiensis, Capellanus, Concionator  
Slavonicus, Organista & utriusq; Chori Musici Director;  
jam verò per DEI gratiam Veritatis Evan-  
gelicæ Confessor.

---

LIPSIÆ.

Typis JOHANN-ERICI HAHNII.

REVERENDISSIMO, SERENISSIMO  
CELSISSIMO QVE  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
CHRISTIANO,  
DUCI SAXONIÆ JULIACI,  
CLIVIÆ ET MONTIUM,  
EPISCOPATUS MARTISBUR-  
GENSIS POSTULATO ADMI-  
NISTRATORI,  
LANDGRAVIO THURINGIÆ,  
MARCHIONI MISNIÆ ET  
UTRIUSQVE LUSATIÆ,  
COMITI DE MARCA ET RAVENSBERG  
DYNASTÆ IN RAVENSTEIN,  
PRINCIPI AC DOMINO MEO  
CLEMENTISSIMO,

*Quem ceu Sacram Anchoram & tutissimum à  
DEO datum Præsidium firmiter comprehen-  
sus sum, cum ad Eum Veritatis fidei Amor  
me traheret, hanc Orationem Religionis vere  
Inauguralem humillimo devotissimoq; animo  
D. D. C.*

*Ex Babele Romana feliciter egressus*  
JOHAN. STAN. BARANSKY,  
à Schönberg.



*289, Kapsel 7814 431*

*[11]*



## Rector Magnif. &c.

**X**cellens ea semper & præclara simul  
cœlestis Veritatis indoles est, ac virtus, ut quam-  
vis in eas redacta passim angustias sit, in quibus  
occupari ex facili, ac premi tantum non, undi-  
que possit, contra tamen ingenia hominum  
ac fraudes, contraque omnes insidias hostium machinasque  
cunctas, quibus quæritur, invicta constet, & facile se per se  
ipsam expediat, atque defendat. Ipsa demonstravit ac do-  
cuit sat olim, quam admirabili gaudeat vi, divinoque satis in-  
structa robore sit, & in occulto licet non nunquam lateat, lucta-  
ta tamen cum tenebris diu, tandem emergat, & per eas iden-  
tidem res, per quas opprimi frequenter cœptum est, incre-  
menta sat valida capiat, viresque sumat, adaugeatur, ac vincat.  
Et accidit haud rarò, ut si piissimæ mentes deditæ in eam cum  
oculis sint, ac notent, quanta modò vi, quantisque jam opibus  
polleat, & armata veluti semper incedat, illicò eas trahat, ad-  
vertatque ac quosdam quasi stimulos inquirendi in causas iis  
subjiciat. Idem & mihi hætenus usu venit, cui post diurnas Pa-  
pisticæ Religionis tenebras, in quibus errare huc usque, nec  
satis gnarus quò fatò fuerit necesse, jam Evangelicæ veritatis  
aspicere lucem contigit. Contra hanc namque arma ipse  
tuli; sed illa me vicit ac fregit, cujus victoriæ beneficiò Con-  
versionis, gratiæ DEI, vitæque æternæ capax particepsque fa-  
ctus sum, & cum qua in Christo jam habeo pacem ac vivo.  
Nam cum ortæ quasi nubes visui offecerint diu, ne conspicua  
A 2 fortè

fortè ejusdem sedes foret, cœcum tamen & ambigua spe torpentem animum non neglexit, quin potiùs, ut sollicitus magis ac magis esset, & in ejus ratione paullo accuratiùs interpretanda majorem operam poneret, propulit. Nec ipse igitur reliqui quicquam feci, cur non & quò minùs in investiganda ipsius via propiùs irem: Nec ea me fefellit; inveni quippè, quam quæsivi, & amplexus fide deinceps, quam inveni. His beneficiis divinis exulto dudum: & jam mirificè gratulor mihi, modisque omnibus gaudeo, quod tempus illuxerit illud, hæc quo talia facere palam possim. Igitur Salve festa dies, quâ Spiritus Sancti fulgore ac gratiâ, suavissimum, salvificumque Evangelicæ veritatis lumen in anima mea, quæ fugatissimis Papicolarum obvoluta hæctenus, atque immersa tenebris fuit, splendere largiter cœpit. Salve felix ac faustum præsentis horulæ spatium, quò, postquam peculiari Spiritus Sancti gratia Spiritus meus in Evangelico veriùs divinitusque informatus verbo, ac in vera fide renovatus, Evangelicam profiteri veritatem, ac omnibus & singulis, minimis & maximis, & quosmodo cunque Romanus Pontifex fovet, erroribus pio ac velut solenni actu renunciare jam, & Orthodoxam fidem exponere meam decrevi. Quum verò ad veram Religionis viam maximè quoque intersit, *ubi & unde* quis fuerit natus, igitur & hoc explicare mecum constitui in præsens: Superest ut & Vos, Auditores omnium Ordinum ac Dignitatum Eminentissimi, benivolas dicenti præbere aures velitis; id quod à Vobis admodum contendo.

Quàm maximè conducat, quò surculò, tanquam anniculo germine creverit arbor, & quâ inserta demum, ac posita terrâ sit, sat dudum edocet Natura. Auget dolorem atque intendit mirificè, quum intueri oportet, ut vel minimi status herba, si minus fertili, & ab sua indole alienò nimis plantata solò sit, inarescendi initia sumat. Et inde potissimum venit, ut jaceat securè semper, ac dominum ipsum, si quando diverti  
ad

ad eam velit, negligenter propè expectet. Sed ubi non spif-  
sa licet, temperata tamen, ac maximè apta fertilitas est, usque  
adeò lætis aspici vicissim, ac iterum coli oculis gaudet, ut vel  
expergisci statim, ac quemvis, qui visitare obambulet eã, exci-  
pere intentè amet. At enim quàm fertili locò radices egerit  
pomum, malignè tamen crescit, si sedula colentis opera desit,  
qui ipsos ramos, dum sylvescere jam tendunt, luxuriosos velut  
castiget, & noxii quicquid innasce iis velit, fideliter purget. Et  
quas non expetere pœnas teneatur familiæ servus, si ex lata vel  
levi culpa commissam sibi perire traducem, quæ aliàs ingenio  
suo se singulis probat, admittat? Haud aliter, credo, & maximè  
ad temperandam hominum indolem interest haud parum,  
*Ubi* quis fuerit natus. Alius namquæ ac alius locorum ge-  
nius est, qui vel ex copiosiori, fortiori quæ, vel rariori ac leniori,  
vel æquo denique syderum fluxu originem sumit ac ducit. In-  
directè quidem ac indeterminatè se astralis talis influxus ha-  
bet, verùm tantæ tamen virtutis est, ut & singulas fermè Na-  
tiones ingenii solertiã, vel corporis quoque qualitate dividat,  
atque distingvat. Sed longè pluris tamen refert, ex quibus  
quis fuerit natus, & cum quibus vel à primò infantia gradu  
in plenum Virilitatis ascenderit fastigium & iterum naturæ  
quod debuit, reddiderit. Etenim experiri utcunquæ licet, ut  
quos ipsa natalium felicitas supra alios tollat, eorum fortuna  
ac indoles nulliusque non maximæ & quamvis arduæ rei pro-  
mittere capacitatem possint, ac maximum ex ea fructum eti-  
am tandem ferant. Et accipimus contrà, ut ii, quibus vel mi-  
nor vel nulla quoque nascendi fors fuerit, crescere vix que-  
ant; ac licet possint velintve, ab aliis tamen, nescio quibus  
innumeris rebus, impediuntur, quò minus ad eum, quem pro-  
posuere scopum, tendere fat benè queant. Ut quisque au-  
tem indolem ac felicitatem nativitati debeat suæ, pulchritu-  
dinis tamen, ac veræ virtutis induere habitum vix potest, nî

pia statim coram, ac fida pariter Magisteria sint, quæ ipsos absolvant mores, ac veram disciplinæ viam, quam teneant, monstrant. Is namque infantia animus est, ut eorum, quæ in rudibus annis à suis perceperit falsò, tenax adeò sit, ut nunquam vel difficili tamen labore, ab inculcata vel inveterata divelli sententia possit. Mira sæpissimè res est, undenam, dum per mollitiem istam annorum, ac primum adolescentis, quem agunt, ætatis florem nihil vix discere, nedum tenere videantur, credere tamen tam firmiter queant. Et quam vivida quoque ac alacris itidem indoles sit, lubrici tamen econtrà & nimium faciles adolescentiæ impetus sunt, ut seduci per eos ex facili possit, & quod deplorandum potissimum est, & animo & corpore corrumpi. Iis namque se planè permittit, nec tam, quid liceat, expediatque quandoque ac par sit, sequitur, quam quod vesana ipsa sibi, & inexperta ac sui secura dicitur ac svadet. Delitiæ insuper passim, ac lenocinia voluptatum & vitiorum, quibus felix parataque peccantibus regio vel ad lasciviam usque diffluit & abundat. Sumuntur à conversantibus mores & sicut quædam contagii labes ad alios manat, sic mirè occupant & quicquid sani & integri est, corrumpunt. Vitia serpunt, aguntque contagium ac instar pestilentis afflatus, quæ transeunt, nocent. Euripidèum contrà oraculum sonat; Sapientes ex Sapientum congressibus fieri. Sic erumpere virtutum jubar amat; & ægrè sicut pati ignis potest, ut in obscuro se jactet, ac latitet diu; sic & quævis humana indoles, eaque recta, in occulto jacere diutius, fallereque ignota nescit, sed virtutibus illicò asvescit bonis, quas tandem promoveat in majus, ac tollat. Hæc didicit probè, ut nihil in mortali vita teneant homines, præstantius quod sit, ac Sapientia. Hæc enim est, quæ nobilissimam humani corporis partem, animam dico, in singulis bonis non modò fingat ac formet, sed & obstetricis instar in lucem & vitam quasi manu comitetur

ac



ac ducat. Nam quamvis animus hominis divinitus inditâ istâ  
intelligendi gaudeat vi ac facultate, similis tamen metallo in-  
formi est, quod in venis suis adhuc rude latet, nî disciplina  
ac polientis accesserit manus, quæ eruat velut, dissolvat ab ali-  
is, eiqve splendorem ac pretium ferat. Non leve igitur est,  
assuescere à teneris; & id maximè opera navanda sedulò, ut  
optimis intingatur virtutum præceptis animus tener, ac præ-  
struatur sic tandem, ut & in civili vita præruptos declinare  
tramites possit, ac fugere compendiorum prava prudenter  
sciat. Sed si hæc nativitatis ac disciplinæ ratio in naturalibus  
æqvè, ac in civilibus admodùm juvat, & ut adhibeatur in tem-  
pore hæc, necesse cum primis est; quantò magis in Spiritua-  
libus conducere possit; & ut vera Religionis doctrina adjun-  
gatur apprimè, major necessitas moneat ac velit? Nam quæ-  
cunqve in mundo sunt & aspiciuntur, nil solidi tenent, & sua  
vanitate, quâ insolenter se habent ac sæpè ridiculum quæ-  
runt, desinere brevi incipiunt, quin evanescent ad ultimum  
tandem ac cadunt. In Spiritualibus quæ fiunt, robustissimis  
munimentis insistent, in post futura quæque tempora durant,  
& Clementissimi DEI gratiam ac benedictionem, quæ peri-  
tura nunquam est, sine fine expectent. Si quando stellantia  
florum lumina occiderint, vel elegantissimæ indolis arbore  
decerpta perierit tradux, magnum id quidem domesticæ rei  
periculum adfert: Sed longè majus tamen Civilis intelligit  
vita, si non sedula Virtutum obstetrix tantùm sed optima quo-  
que nutrix, fidelissima probitatis custos doctrina adolescen-  
tem ætatem ad disciplinas subjecerit probè, ut quandam ho-  
nesti concipere speciem possit, ac eos faciat profectus, qui Rei-  
publicæ consulant quondam, ejusque utilitates ac commoda  
prudenter juvent. Sed longè maximum certè ac deploran-  
dum semper percipimus damnum, si non id agimus unà,  
ut animæ nostræ consultum optimè sit, ne improvisa ac malè  
fana

sana lethi vis rapiat eam, inq; infernas miseras istas, in quibus cruciari subinde, nec consumi tamen habeat necesse, subjiciat. Non probitatis modò, sed pietatis quoque, dum agimus hîc, facienda ratio est, quarum illa respicere proximum amat, hæc ipsum DEum. In hac quoq; labor sit noster hæc otium nostrum, hæc sola quies nostra, & in hac una somnos reponamus nostros, quò magis placere DEo possimus, quò Bono nihil sublimius datur, nihil pulchrius ac suavius, superius nihil, vel quoque prius. Sed ut pia jam esse anima in Conditorem suum potest, quæ in voluntate ejus informata nunquam piè verèq; est, & ut faciliùs aberrare & latius queat, miserè seducta? Etiam hîc vel maximè confert, à quibus natales acceperis, & cum quibus adolescentiæ absolveris spatia. Ab iis parentibus nasci, qui Lutheranae addicti Religioni sunt, exoptatissimi nonne fruuntur possessione statûs? Dulcissimò materni lactis succò, sicut cætera quæq; hauriunt nunquam non ac tenent, & ab iis ipsis, quo gaudent, accepisse pulcherrimè juvat: Sic mirè identidem prodest, atq; delectat, cujus animi ruditatem, quâ quisque in veræ Religionis cultu laborat, studiosa simul fidaque parentum exemerit doctrina. Hæc manet ac durat: Hæc juvenilem ætatem ad optima quæque asvescere facit: sola hæc prolicit fructus, quorum ullus vix iniri numerus potest: dum in infinitas permanent ætates. In tam felicissima rectissimaque divinæ agnitionis via suum absolvere iter, sistere ibidem, indormire in DEO, & clarissimum ultimæ tubæ sonum expectare, nihil majus, beatius nihil. Sed quæ iterum semper calamitas est, ortum ab iis traxisse suum, qui ipsi in rectâ divini cultus semita errant, nec quid æterna DEI veritas dicat ac velit, sciunt? Quid aliud pueris inculcare suis queant, quàm quod pueri quandoque ipsi, & publicè vel privatim didicerint à suis jam senes? Ab iis ortum parentibus esse, qui Papisticae, i. e. falsæ, vanisque Pontificum tra-

traditionibus innisæ fidei defixi, & alligati sunt, quid accipere frugi vel de eo, quod Majestatica Divinæ voluntatis jussit vox, & quicquid sacro Codice Spiritus Sancti notatum præscriptumque mortalibus stylo fuerit, tenere veri possunt? In papatu qui vivunt, iis tristissima, & Ægyptiis tenebris magis obscurior incumbit nox, dum absurdissimis superstitionibus Pontificia Tyrannis animas quasi captivas miserè tenet, quò minus sisti, in lucem, & in lacte ac melle fluentes terras, ubi purissimi, liquidissimique ac suas duntaxat Evangelicæ veritatis undas trahentes rivuli manant, transponi queant. Utque adeò altissimis nebulis cœlestis demersa veritas latet, sic ignorantia ibidem crassa perverfis hominum animis plenè incensit, ut pro pietate vanitatem, pro Religione superstitionem, ac omnibus sanctis abominosam idololatriam observent ac tueantur. Et quicquid Romanus Pontifex (egregium, ut putant, Ecclesiæ caput) dicitur, ac sancit, hoc adorare omnes unum, hoc credere cuncti delapsum cœlo, nec tam æquandum divinarum literarum Oraculis, quàm præferendum miserrimi censent. Quicquid de Unigenito DEI Filio, Salvatore nostro piissimi Sectatores ejus condidère, quicquid Paullus Tarsensis, & ceteri veritatis docuere præcones, in tenebris cum blattis ac pulvere luctatur ac pugnat. Clarum id fieri pluribus posset, nisi per se Papatûs ratio constaret. Admodum gravis, atque insignis in Theologia locus de Ecclesia est, ubi locum invenienda, quæ vera illa sit, & quibus ornata privilegiis gaudeat. De his capitibus, quid rectè Pontificii docent? De Purgatorio, propriisque Justificationis viribus, quæ non imprudenter, & superciliosâ satis autoritate garriunt, ac clamant, quorum fundamenta tamen ac rationes non nisi papisticis traditionibus, i. e. meris apertisque ac tinnulis nugis armatæ subsistunt. O si miserrimum animæ intelligerent statum, in quem originis peccatum trans-

**B** jecit,

jecit, erubescerent, absisterentq; tam impia referre, nec contra commune ac Universale sanguinis Christi meritum tam blasphema dispargerent ubivis. Princeps animal homo ad imaginem DEI conditus quidem primùm erat, nec præditus tantùm æquali corporis statu, sed certiore DEI notitia, timore, ac fiducia DEI, aut rectitudine certè ac vi efficiendi ista imbutus, ita quoque, ut & immortalitate armatus, dominioque in creatas ceteras res ornatus incederet. Sed originis peccatum, quod vulgare velut vitiorum commercium ex lapsu primorum Parentum in omnes homines derivatum est, quem mortalium intactum reliquit? quibus peperciit? & unde se, ne longius iret, continuit? Hunc Protoplastorum lapsum concreatæ in Paradiso justitiæ originalis privatio excepit, stupiditasque tanta, ut in Spiritualibus rebus, quæ DEI sunt, homo efficere nihil, nec cogitare possit. Morbus cum incubuerit semel, omnem debilitat corporis statum, ac turbat, lacertorum hebetat nervos, adimit vigorem membris, ac florem decerpit; Quin menti haud rarò frigus ipsum insinuat, quod maximam partem hominem occupat, & dum perimere insistit, larvam ac umbram reddit. Quid originis peccatum aliud est, quàm naturalis morbus atq; contagiū, quod omnes homines, qui secundum humanam naturam propagati vel sunt, vel adhuc nascuntur, sine metu & fiducia DEI & per concupiscentiam depravatos usq; effecit, ut nullius intelligi ratione, vel concipi duntaxat possit. Hoc genus morbi non agit modò id, ut ne incrementa capere corpus possit, ac decrepantibus viribus demum contabescat indies sensim, donec penitus tandem intercidat: sed & præter has pœnas & alias secum trahit, æternas quippe ærumnas, miserias, Tyrannidem atq; dominium Sathanæ, cui homo propter peccatum tale in miserriam servitutem traditus & ab eo captivus tenetur. O durum animæ statum! quid purgare animam, & quis fluminis liqvor

liqvor peccati illuvie perfusam, ut pulvere pariter ac sudore abluere se omni queat, invitet? Quæ modò vis sit, quæ eximi, eripique Diaboli vinculis possit? Arma repelluntur armis, quorum omnis in aperto sita fortitudo est; robusto corporum nexu, & heroica manuum virtute peragi gaudet. Sed longè aliud hîc, & supra omnes mortalium positum vires cernitur certamen. Quid jam tibi, tuisque, Bone Pater, Papa, hîc agere placet? Homo es, & humani nihil abs te alienum putare debes; in peccatis æquè, ac omne mortale genus, conceptus es, pœnas expetere easdem teneris. Quid solatii habes, & quid præsidii prætendis? Bona opera? Ô mala, perniciosaque opera! sub quorum solâ tutelâ coram justissimo judice justum salvumque te fieri doces ac speras. Solâ fide in Christum, gratia DEI peccatorum remissio, justificatio vitæque æterna apprehenduntur, quorum ne unum meritis tuis consequi haud poteris unquam, & quæ alia spiritualia pignora sunt. Vel putas, te cum DEO Patre esse reconciliatum per fidem, per Spiritum Sanctum renovatum, & in Christo Jesu ad bona opera denuò creatum? Sed omnem gratiam ac remissionem in meritis unicè reponis tuis, & non in fide tantum, quæ tamen ostendit, quod DEUS propter Filium suum Salvatorem nostrum Jesum Christum ignoscat gratis, atque exaudiat. A renatis fide per Spiritum Sanctum opera fiunt bona, quæ demum DEO placent atque accepta sunt propter Salvatorem nostrum fide apprehensum. Sed ipse tibi conversionis opus adscribis, quomodo grata esse possunt, quomodo apprehendere Christum potes? O miserum animal, nihil magis certè ad tui conversionem, agere vel addere potes, ac lapis vel truncus. Attalicas conditiones omnes, & quicquid in Libycis verritur agris adfer: Libyam remotis Gadibus junge, & quantum Oceanum inter, & Pyrenæi culminis juga se explicat, adde, & quicquid in singulis terræ visceribus latet,

inque toto terrarum Orbe, ac pene extra Terminos solis positum, adijunge, Justissimo DEO pro peccatis tuis offer, conferre nil poterit. Quid igitur est, cur universale meritum Christi rejicias, & in tuis operibus bonis, ut vocas, omnem propitiationis spem colloques magis, ac ponas? *Fide justificati pacem habemus per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem & habemus accessum per fidem ad gratiã istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloria filiorum DEI.*

Reliquos errores, qui innumerabiles sunt, præteream in præsens. De cœlibatu tamen aliquid referre placet. Pontifices namq; matrimonium Clericis adeò negant, ut & nuptiarum conviviis interdiciant iis, atque si fiat, ut mulierem amplexatur Clericus, id exponi a Laico sic jubeant, quod benedicendi fecerit causa. O diabolicam doctrinam! tollere id, quod naturæ jus suadet ac jubet: tollere, quod creatio ac ordinatio ipsa docet; quodque cœlestis DEI sanctio instituit ac jusfit, ut omnes, qui non sunt idonei ad cœlibatum, ad servandum illud obligentur! Sed non omnes capiunt verbum hoc, id est, non omnes idonei sunt ad cœlibatum: peculiare DEI donum ac nemini contingit, nisi cui datum, concessumque divinitus sit. Impium jam sanè prohibere id velle, quod in se honestum ipsum est ac mundum. In piis ac credentibus mundum conjugium est, ac verbo DEI, & fide sanctificatum. Omnia munda mundis. Igitur Sancte Pater, Papa, dum immundū esse conjugium doces, lasciviam tuam ipse ac simulatam duntaxat continentiam prodis. Mundus enim si ipse esses, neque tibi immundum matrimonium foret: sed quoniam impurum, publico scandalo, innumeris vitiis & flagitiosa libidine conjunctum exclamas, nec castus audire ipse, vel mundus potes. Continentiam cum tuis mirificè jactas, quam tamen non habes, & sub nudo Religionis prætextu simulas tantum ac fingis. Multa claraque exempla ad-

sunt:

sunt: sola nobis sufficiat Bohemia, quâ maximas partes corporis sui nobiscum connectit. Sponsionem dabo, si inter tot animarû Pastores vel decē vel duos ad minimum, quibus domi domina, vel ut rectius loquar, concubina, sive libera illa sit, sive maritata, (nec enim delicati admodum atque difficiles personarum acceptores sunt.) justioris sponsæ lectum non occupet, invenietis. Non possum non referre, quod verissimè nuper factum alibi est. Transibat fortè Consistorialis Visitator Pagum, conspectaque ante Parochianas fores octo infantium turbâ, interrogabat: *quemnam recognoscerent patrem?* Cæterum ex materno sensu respondere instructi, dicebant; *Fabrum ferrarium, qui in vicinia parochiæ habitaret.* Inter hæc autem cum visitatoris equus perdidisset soleam: *pueri inquit, vocate ergò patrem vestrum, qui equo iterum soleam inducat:* sed illi contrà respondere: *non posse venire patrem, quia jam sacris vestibus indutus ad celebrandam Missam ad altare processisset.* Heu, cadat in quenquam tantum scelus! Hinc sequitur, quod nec in Urbe Cives fæcundi, nec in Ecclesia ministri Casti. Egregii scilicet Cœlibes, qui continentiam quidem præferunt, sed non habent! Cælibes dicti, sed omni libidinum atque flagitiorum obscœnitate polluti ac foetidi. In tali cœlibatu qui agunt, DEO sanè nec militant, nec litant, sed impurissimo, nequisimoque spiritui, cui ut corpus simul id maculant, mancipant, ita & animam quoque eidem, resiliens à Christi fœdere, injustis illis atque incestuosis nuptiis maritant, ac jungunt. O improbos cœlibes Sacerdotes, qui omni castitatis donò se loquuntur præditos, improbæ tamè libidini ingenio uti suo permittunt! Si genialis in Aula lectus, cœlibi vita nil esse melius affirmant, nec prius: sin minus; solis maritis esse benè, jovem lapidem jurant. Vos juvenculis suis metuunt matres, ac senes parci: vos miseri mariti timent, ne vestra aura virgines jam recens nuptas retardet. Si penes

VOS

vos est, continentiae parare donum, cur lasciviam adaequate non castigetis talem, & cohibeatis in tempore, ne vires assumat, & in audacem petulantiam eam succrescat, ut quae palam, ac media patrare luce non dantur, designare per tenebras contendat? Improba quidem Venus ipsa ridet, rident & simplices Nymphae, quin ferus etiam, qui cruentam cote ardentem acuit sagittas, Cupido ridet. At satius nonne, ac verius, semper verecundum naturae ductum, ac ordinem sequi, & ad quod divina te alligaverit lex, habere pensi, quam abripi eò, unde reverti sine dedecore flagitioque non liceat, durasque praeterea ac tristes promereat poenas? Haec quippe sunt continentiae impurae praemia: hanc sibi mercedem incontinens quisque coelebs facit, ut in ipsa primum honestatis odia incurrat, ac tandem, si sapere sanioraque pati consilia nolit, à piorum rescindatur consortio, & putrida veluti pars ab ipso DEO, ut honestissimae cujusvis rei Auctore, abjiciatur. Pulchrum quidem est, oscula fixisse nulla, quae quintam deinceps Nectoris sui parte Cnidi Paphique imbuat Regina, si quae tamen pius una, & pulchritudo intra pudicitiam cordis sui sit. Nam neque hoc turpe quid, vel mali moris res est, imò in laude magis habetur aequè ab ipso DEO, quam hominibus in universum, liberos habere nullos. Ubi tamen fertilis eorum copia datur, documento nobis sunt, divinae benedictionis negotium esse; quae si quis quasi privatus ambulat ac sedet, optat tamen, aeternumque velut fertum piè superbit, & casti certaminis laurum deportat. Verum qua ratione niti in superos, perumperre caelum, & ut audiatur, irascentis DEI penetrare arcana Coelebs potest, cujus animum lascivae licentiae studium vexat, verecunda minus domat Venus, ac erubescendis ignibus adurit? Sed infiniti laboris negotium foret, stringere nequitas omnes, quas Pontificius coetus circumgestat in sinu velut neque minus se ipsum, quam & alios longè plures in eosdem



dem errorum laqueos, quibus interiora cordis petat, liget ac stringat paulò post, nequissimè inducat. Nec instituti nostri ratio permittit, stylo persequi hæc cuncta; tetigisse tamen ex pluribus quædam placet. Igitur ut in compendium mittamus orationem, ex dictis constat, ad verum Religionis cultum facere præprimis, unde incunabula quis sumpserit sua, & cum quibus à primis statim adolescentiæ annis provectas nunc ætates agere & ultimam tunicam illam exuere ponereque paullatim consvescas. Equidem gnarus etiam ipse sum, non exiguam admodum copiam eorum esse, qui candidâ licet, æthereaque Baptismi induti signatique fuerint veste, exutam mox tamen abjecerint rursus, & in Pontificum magis magisque, ac multò sæpius, quàm numerare facilè sit, transierint partes. Ex ancipiti namque mutatione temporum pendent, ac lætum planumque quod est, plus amant. Difficiles, ac tristes vias, *quæ in ipsam angustiam callis, per quæ multò sudore, ac plenâ meandum semper fiducia est, fastidiunt, ac horrent.* Illecebrosæ simul perfidiæ artibus capti, per vetitum omne nefas ruunt, fideque exutâ deinceps omni, *audaces perpeti quæcumque sunt,* vix ullum subitæ mortis verentur gradum, ac timent. Sed hujus farinæ nebulones, qui neque fidei suæ, quam Sacrosanctâ Trinitate, ac omnibus Sanctis dederè coram, memores sunt, nec potentissimum Numen, nec sacramenta extimescunt, determinatam certamque mercedis etiam suæ pœnam sentient quandoque. Ubicumque locorum dare se fugæ velint, vel aliò sole calentes terras mutare, imminens tamen in tergo sequetur jam pœna. Nulla saga, nullus Magus vel Thessalis Veneris solvere eos poterit unquam, tanta laborant in charybdi, nec animam eorum, quæ triformi illigata Chimææ est, Pegasus ipse expediet. Scilicet in id exitii præcipitant se tales ultrò, ex quo emergendi deinceps spes nulla sit super. Tu  
verò

verò anima mea, nisi asperis ventis ludibrium debes, admodum cave: & interfusa nitentes Cycladas æqvora, quibus elapsa jam DEI gratiâ es tutò, tutius ac semper fuge. Unigenitum DEI Filium fidei plenitudine serva, beata sic eris, ac vives. Multò magis verò & maximè deffendæ vices eorum sunt, & lachrymis hinc temperare vix mihi possū, quos pressa gladii vis, quos injustus sæpissimè fervor furorqve, ac Lutheranis amica minus Pontificiæ cohortis manus de sinceritatis via capiunt latruncolorum instar, & ut partium quoque suarum fiant, invitos cogunt. Sed ægrè sicut Orthodoxa id passa pubes: ita certò certius expectanda eidem vicissim in Verbo promissa salus, ac quies, quâ frui sine fine debent; Seductoribus contrà truculenti inferni manenda lues, ac flamma, ubi horribilia simul pœnarum patebunt loca, tenebrarum caligo, & chaos. De iis jam verò, quibus ipsa nativitatis ac disciplinæ ratio subest, quid dicam? Ab aliis documenta sumere, quid confert, quum recenti jam ac proprio consulere mihi ipsi liceat exemplo? Cum his enim par causa seductionis communis mihi hæctenus fuit. Num Parentes autem sceleris tanti incusem auctores? Minimè liceat! dolenda potius eorum fortunæ sedes est, quâ ipsi in tantas locati tenebras sunt, quantas cœlestis sapientiæ luce, quâ intellectus illuminatus meus nunc est, pressi ac vici. Romano Pontifici soli, ac unicè imputandum omne est, quicquid permiserim hæctenus mihi. Idem mihi princeps, & ad suscipiendam & ad ingrediendam rationem tam phanaticæ Religionis suæ extitit. In verâ DEI cognitione ac veritate tener ac rudis adhuc instruendus animuserat; sed quas non aniles statim proferebat fabulas? Anima mea Phagedænicum conscientiæ ulcus sentiebat, internaque quadam ac silenti velut originalis contagii peste depascebat se ipsam: Sed quod emplastrum imponebas, & quæ medicamenta ut labescentis jam animæ concipi potuif-

potuissent venis, offerebas? Jam ex longa fame ac siti divinæ  
reconciliationis ac felicitatis efficaci quodam ac planè divino  
satiari solamine petebat: sed quas phaleratas eloqui voces,  
ac frigidissimas suggerere nugas non solatium interpretaba-  
ris? Tristis Spiritus erat; fatiscere jam, & cadere inclinans  
modò, solvi optabat: quomodo fovisti, solatusq; eam beni-  
gnè es? O luctuosissimum vitæ genus! Heu fallax animæ  
meæ asylum & immunita ac male tuta arx! Heu imbecilla  
Religionis anchora, statioq; ac portus in omni tempestate  
admodum falsus! quod levamentum animæ meæ, quod tan-  
to remedium vulnere, & ubi locorum inveniam? Ponere se  
ad status syderum cursus tempestatis furor solet, & verso stel-  
larum situ, post asperos ac fœdos amœni placidiq; dies rede-  
unt; quin dissipatis tenebris cunctis augustissima solis lux,  
licet obscura jam videatur antè, majus atqve potentius conse-  
rere jubar amat. Quàm similis mihi quoq; ac longè major  
vicissitudo sese obviam conferat, olim sentio, eamqve eo ma-  
gis miror, quia jam deniqve, qualis & quanta, quantaq; sit, in-  
tiniùs cognovi. Dira quædam profunda qve fœdissimarum  
tenebrarum nox imperio subjecerat me suo, quæ omnem di-  
vinæ sapientiæ rationem obfuscaverat non tantum, sed undi-  
quaqve quoqve velut densissimis nebulis eò involverat, ut &  
naturæ lumen videretur tantum non omne interstinctum, Sed  
quàm felix mihi benefici astri contigit vicissim exortus, qui  
rupit nubila, disjectisque tenebris cunctis attonito cordi vi-  
gorem ac lumen dedit! Ab Romana Tyrannide percussa se-  
mel mens erat, & ad discendam superstitionem quamcunq; ex  
facili mobilis se componebat: Sed meliori paulò firmata  
in simul verbò, rigida cervice statim Pontificum subire diutius  
jugum negabat: ad credendum tamen adhuc olim ferrea  
vis inferèbatur. Dicendum hic quidem potissimum sit, non  
esse Religionis, Religionem cogere, quæ suscipi spontè debeat,

C

non

non vi, cum & hostiæ ab animo libenti exoptulentur: sed  
compendii facienda res est, & operam is omnem perdit, qui  
Apocalypticam bestiam illam vel reducere ad vitam, vel re-  
vocare saltem laboret. Lætitis omnibus nunc magis lætor,  
& quantum possum, piè triumpho, quod fractis ac dirutis vin-  
culis cunctis transeam solutus ac liber. Discussio jam pror-  
sus, atque solutio tantæ Tyrannidis jugo Christiana nunc ho-  
die primum libertate fruor, ubi in Unius Servatoris meri-  
to, per quod ad bene sperandum auspiciatissimum signum pro-  
videns Numen sustulit, egregiam uberrimamq; animæ meæ  
spem adolescere plena jam fide scio. Quæ Spiritus Sancti  
vox me vocat, capit, & afficit? Spirituales quos sentio  
motus? quas fidei operationes non percipio novâ fide reno-  
vatus? In firma hac fidei fiducia, quod felix faustumq; esse  
jubeat S. S. Trinitas, in cujus præsentissimo Numine etiam ac  
Vobis singulis coràm R. M. &c. qui mecum unam fidem,  
profitemini, & unum ac unicum Pastorem animarum, Princi-  
pem ac Servatorem Jesum Christum agnoscitis, in hõc Reli-  
gioso ac sacerrimo loco me erigo, ac fidem meam Catholicam  
Orthodoxam profiteor sanctè, ac sincerè expono. Omnem  
quippe Papatum, & quicquid ei adhæret, præcipuè verò do-  
gmata ea, quæ in Concilio Tridentino sancita, totiq; Papatui  
credenda, proposita, & imposita sunt, tanquam falsa heterodo-  
xa, & ab inferis velut protracta, publicè repudio, rejicioque  
prorsus in universum, iisque ex animo repudiatis, ac rejectis,  
Augustanæ Confessioni invariata, quæ annò superioris seculi  
XXX. Divo Imperatori Carolo V. in solennissimis oblata co-  
mitiis est, ceterisque Ecclesiarum Lutheranarum Libris Symbo-  
licis, toto animo, ac sincero pectore subscribo: iisque ad ul-  
timum vitæ halitum suscripturum me usque Divinâ gratiâ  
fretus & adjutus, sanctissimè promitto. O augustissimum  
diem, quò ad illud divinum animorum concilium cœtumque  
pro-

profectus, ex Papicolarum turba colluvieq; discessi! ò felicem ac fortunatum diem, quò ex paludosis maris, ac tenacissimæ voraginis locis, in quæ incidi jam recens, liberatus mirificè sum. ò notâ plus quàm candidâ notandum diem, quò, postquam præsentissimum animæ adii discrimen, exiiservatus. Papisticis tenebris ereptus Divinâ gratiâ sum: ò quid esse carius, ac excellentius possit? Quiesce anima mea! Reconciliata per Spiritum Sanctum cum DEO Patre in Christo Jesu es; quiesce! Immanissimæ Tyrannidis subducta jugo Christiana frueris libertate, laxa curas, & acquiesce! Pretiosa DEI conditio es, Hic Te eripuit; Unigenitus DEI filius te redemit, & Spiritus Sanctus sanctificavit, expergiscere nunc, lapsasque collige vires, ac gaude! Non frustra fuit, quod (nam & hoc fateri ingenuè licet) intra domestici laris secretum privatim ac tecum sola divinam meditata sis legem. Ut primam namque & antiqvissimam perpetuò habuisti jam pridem curam, castè & sanctè colere DEUM, puras ac innocentes ad eum ablegare preces, meditari certis horis oraculorû cœlestium Codicem: Sic Spiritus S. haud negligens contra fuit, sed per clementem ac efficacem operationem quàm validè succurrens, capacitatem viresque magis ac magis increseendæ fidei suppeditavit, ipsum conversionis opus in te solus ac unus ita absolvit, ut gratiam DEI non apprehendere tantum, sed & insequentibus fidei exercitiis vel ipsi Spiritui Sancto cooperari ex gratia, sociatisque laboribus fidem exercere tuam deinceps in Christo possis. Nam neque quisquam est, qui hunc conversionis actum ex propria voluntate vel cogitare, vel absolvere tandem possit, nisi Spiritus Sanctus cujus solius tam ingens res est, in homine per verbum inchoet, & absolvat. Non hominis, neque fortunæ, nec tam stultum, quàm impium est, iis adscribere id velle, quod ad Spiritus Sancti studium referendum unicè semper, & à cujus

curâ tutelaque solùm; tot cara pignora pendent. Imbecillior natura hominis est, quàm ut egregium atq; frugiferum quid in tam spirituali causa conari saltem, nedum efficere valeat abs se, nisi intervenerit DEUS, ac vires opesque Spiritualis gratiæ aspiret, consilia suggerat, ac vias velut, quâ sit eundum, aperiat, ac monstret. Ut verò, Anima mea, pietatis studio sedulaque sacrarum litterarum lectione antiquius habuisti nihil: Sic in id quoque studiosa navaque esse impostertum velis, ut perseveres ibidem, nec incipias bene tantum, sed etiam in vitæ vespera cum laude finias quandoque, ac Olorinum novo contrapuncti modo occinere possis: Salve benignissimum lumen! Tibi igitur hinc spiritus pro immensis, & nullius unquam voce deprædicandis satis beneficiis tuis, quæ in me hætenus revelando veritatem uberrimè contulisti, debitas laudes, ac gratias reddo; Teque piissimis precibus veneror supplex ac oro, ut, quicquid in hoc ipso die redierit in me felicitatis, esse perpetuum ac salutare jubeas. Dirige mentem meam in Spiritu tuò, ut in hac salvifica fide, quam ex ingenuo liberoque affectu pronuntiavit cor meum, permaneat ac duret. Salve dulcissime Jesu! En redii exul! In syrtibus maris hætenus egi, quod lætum præ se ferebat vultum; Sed multæ opis promissione titillabat in fronte, cum anima bellum. Unda maris ut clemens admodum fuerit ante, & præter opinionem foverit salutem meam; è subito tamen commutavit se post, & tristior atque acerbior apparuit. Commotum quidem & fluctuans non nunquam se posuit salum, & ab extero quietem concessit: Sed habuit intus tamen, quod animæ insidiis invigilet, turbasque meditetur, quæ crescant in fluctus deinceps, ac lethale magis exitium ferant. Enim verò amputasti moram, & omnem adhibuisti celeritatem, quò reducerer ex scopulis istis, reciperemque portum, ubi fessus appellere tutò possem, nec nova se  
fluctum

fluctuum advolveret procella, quæ agat præposterè, & plures  
exitii causas adstruat. Sed neque hîc tamen solus tibi securi-  
tatis sufficit portus, quò quiescere debeam : Omnis amoëni-  
tatis ac elegantia restat hortus tuus, cujus ambitum brachiis  
spatiosissimis ad osculandum quasi, fovendumque amplexus  
ab æterno. In hunc transponis me insuper, ut nascar de  
novo velut, ac spiritus meus, tanquam tenerrimæ adhuc æta-  
tis indoles, divino imbuatur rore, quò crescat pulchrius & in  
uberrimos ac spirituales quosvis fructus maturescat. Hoc  
sanè viridarium est, quod in tales coaluit partes, quarum  
quævis ejus est habitus, ut succurrere invicem, ac gratificari  
sciat: Singula ibidem membra radios, quibus radiant ipsi,  
jungunt ac unum dant lumen: pietatis studium pariter cu-  
stoditur, & sicut teneris statim & nondum se satis noscenti-  
bus animis induitur, ita in sinceritate sine omni macula  
splendent. Si qui surgant errores, & in vomitem eant, qui  
tenerum amoënumque Evangelii conspurcare jubar velint, fœ-  
dare ad nauseam, medendi ibidem identidem locus, & exci-  
dendi corrigendi que mirè opportunus. Floreat nunc porrò  
in hortis tuis, dulcissime Jesu, Rosa pudoris, liliu mentis,  
irriguumque ac sacrum purpurei sanguinis tui fontem vio-  
laria gustent ac bibant. In iis amor meus, & gaudium  
meum, solaque vigilia mea in iis occupata semper. Acqui-  
esce in iis quoque anima mea, ac indormi; sic eris sana, sic  
etiam salva. Tibi quoque, Flamma sanctissima, unà cum  
Salvatore meo vero ac Unico, gratias decerno maximas, quòd  
lucidissimis radiis tuis tenebrosam collustrare mentem, fri-  
gidamque accendere voluntatem non neglexisti; Te porro  
piissime precor, ut, quemadmodum inchoatam fidem solus  
ac primus absolvisti, sic & in post futura tempora conservare  
candem, & ad ultimum vitæ terminum velis, ut introire tan-  
dem cum omnibus Sanctis in sedes cœlestes possim, in Regio-

nes beatas illas, ubi segura & jucundissima mansio; ad fon-  
tem vitæ, qui exarescere nescit, semperque abundat: in arca-  
num illud & inaccessum profanis secretum, quod habitat  
DEUS, ac æternitas ipsa implet. Hoc felix faustum fortuna-  
tumque jubeat esse Sacro Sancta Trinitatis, Cui laus,  
Honor, Virtus, Benedictio & Gloria sit in sæ-  
culorum sæcula.

D I X I.

---

**M**ultorum fucata fides. Tua can-  
dida, credo,  
Docte Stanislae, est. Credere  
vita jubet:

Credere, quæ nostra sonuit Confessio  
in Urbe:

Hanc porrò vera cum pietate tene.

*Scrib. Lipsiæ d. VIII. Decemb.*

*Anno 1667.*

L. FRID. RAPHOLT, Prof. Publ.  
& h. t. Acad. R E C T O R.

---

**S**ic Sodomâ egrederis letus, STANSLAE,  
relinquens

*A tergo, quod amat fex & amurca Soli.*

*Latior ast Solymam ingrederis, concivis & idem  
Sanctorum efficeris, cœlica jura tenens.*

*Qui*



*Qui benè cœpit opus DEUS optimus, augeat, idem  
Per Solam ducat Te super astra fidem.*

*de tanta gratulatus ἀμοιβῆν̄ scribebat Lipsiæ*

**Hieronimus Kromayer, D. S. S.**

Theol. Prof. Primarius, suæ Facultatis  
Senior & Decanus, Præfulatus immediati Mis-  
nensis Canonicus, Consistorialis Electoralis & Du-  
calis Saxonicus, Collegii Ducalis Collegiatus, alumn.  
Elect. Ephorus, Academiae Decem vir.



**Xisti Sodomâ : Ne respice. Cernis ut illos,  
Qui sic respiciunt, pœna gravis maneat.**

*Spiritus Sancti gratiam, inq̄ve Evangelicâ  
doctrinâ constantiam precatus ad-  
jicit LM 2*

**Joh. Ad. Scherzer / S. S. Th. D.**

& Prof. Ordin. Alumnor. Elector.  
Ephorus.

IN DN. CONVERSUM

MUSICUM PRÆCELLENTEM.

**MUSICUS ES : Sed mutus eras, dum Spiritus  
in Te**

*Non fuit : HOC CREDENS utere : MU-  
SICUS ES.*

*Cum appreciatione Divinæ Gratiaef.*

**M. Valentinus Alberti, Metaph.**

& Logicæ Prof. Publ.

**F I N I S.**

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher but appears to include a name and title.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher but appears to include a name and title.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher but appears to include a name and title.



Kapsel 7814 431 [11]

ULB Halle

3


006 546 099



WONA







ANUS

ED FACTUS;

itûs Spineto

ngelicæ Rosetum

NTATUS,

stantissimum, Spiritûs S.

ncium

TORIA

ONE

ndida Panegyri

s Academia

E. C. clj lxxvii.

P. Majore

s est,

lis prob! Servus

LAUS BARANSKY,

nis Illustrissimæ Principis

D. Comitis Joh. Wencesl. de

alterius C. M. Camerarii Illust.

deinde L. Baronis Hartmann.

gariæ vico Maniga sive Malze-

post desolationem huic loco à

iscopum Agriensem Thomam

um Varadiensem, Præpositum

Capellanus, Concionator

; Chori Musici Director;

m Veritatis Evan.

fessor.

Æ.

ICI HAHNII.